

ov


alt. Nr. 296.

Jossanus, D. n.

13 weitere Schriften.

K. IV. 35.







AB 153272





COLLOQVI-
VM

M. ALBERTI GRA
VVERI RECTORIS SHO-
lae Eislebiensis.

ET

M. VVOLFANGI AMLINGI PA-
STORIS SERVESTANI, IN ARCE
Schochvitz Anno 1604. habitum: pri-
mum ab ipso Gravvero bona
fide consignatum &
deniq;

*Amore sincerae & y. n. i. o. Lutherane veritatis, no-
tulis quibusdam inspersis, per studio sum
quendam Theologiae vul-
gatum.*

I E N Æ,

Typis & sumptibus Salomonis Richtzen-
han. Anno 1604.





ἑρπιδὸν ἄνθρωπον

*Ad Cl. & Doctissimum virum Dn. M. Albertum Grauerum,
& M. Vvolfgangum Amlingum, collocutores.*

Sic ne erat in fatis, ut terris dedita fama
Ascaniis tua praesenti vilesceret ævo,
AMLINGE? In Logicis qui nos vocitare solebas
Ante rudes, quid sint Contradientia, nescis,
Quid Genus, oblitus, proprie Pugnancia quid sint.
Artis non Amlingus **ERAT** tam nescius ante,
Quæ docet ῥητορικῶν, at ἄντιλέγοντα εἰλέγχεαι;
Sed cur hic non gnarus **ERAT**, velut explicat ipse?
Bisne senes pueri, & rursus volvenda Philippi
Est doctrina boni, quò deinde Philippicus esse
Atq; manere queas? Rhodus hic, saltare memento.

Verum, quantumvis Logicam concoxeris omnem,
Ah frustra fueris! nam, quod contraria stridet
Christo, ut ut adjutum prægnante sophismate plaudat,
In cinerem & tenues dissolvitur omne favillas.

At, **GRAVERE**, animo vir præstantissime macte:
Qui Logices bellator ope & cœlestibus armis
Profligas Lamios mentem cum corpore claudos.
Perge bone; ipse **DEVS** siquidem satis arma ministrat;
Atq; Lupum, in Christi qui adeo grassatur ovile,
Horrendum cunctis, detractâ pelle, probato.
Et quid ni possis? **NOSCVNTVR AB VNGVE LEONES.**
Salveto interea; tu y. Amlinge doleto.

M. Vincentius Corberus Cœlicoronensis.





Colloquium M. Alberti Gravveri, et
M. V Volffgangi, Amlingi.



icesimo quinto Februarij in cœna incipiebat Amlingus cum suo socio, qui aderat, Pastore Ballenstedensi, summopere conquiri de multis defectibus in Biblijs Luther anorum, & imprimis proferebatur locus ex 1. Johan. 5. Tres sunt, qui in cœlo testimonium perhibent, Pater, sermo & Spiritus : Et hi tres unum sunt : quem totum omissum esse Pastor Ballenstedensis conquirebatur.

Amlingus frigidè excusare volens hunc defectum, dicebat Lutherum respexisse tum temporis solum ad Erasmus, ideoq; excusari posse, quicquid ipsi à Pontificijs objiciatur. Ego verò respondebam, Lutherum non respexisse ad solum Erasmus, sed etiam ad Græcos codices, in quorum plurimis hoc dictum non legatur, propterea quod olim ab Arrianis, quemadmodum ostendi possit, sit erasum, sicuti à Nestorianis dictum 1. Joh. 4. ut Socrates testatur. Dictum enim hoc vehementer impugnare Arrianismum, quod & August. lib. 3. adversus Maximinum cap. 22. vehementer urgeat: & quamvis à Maximino fuerit objectus, sequens versiculus eiusdem capituli, tamen omissa Augustini Responsione, aliquanto obscuriore, ex Græco textu facile responderi posse, cum in sequenti versiculo non legatur, *τοὶ οὐ τρεῖς ἐπ' εἰς, sed οὐ τρεῖς ἐστὶ τὸ ἐπ' εἰς.* Fortissimum itaq; locum esse contra Arrianos. Quapropter me mirari, quod Calvinus contra Augustinum, & aliorum patrum mentem cum exponat tantum de testimonij unitate. (En Calvinum Arrianizantem!) Respondebat Amlingus, illum locum

plus dicere, quam unitatem testimonij. Regerebam, Calvinum' ideoq;
hac in parte errasse, quod non negabat, imò aperte fatebatur Calvi-
num hic errasse. (O sanctè Calvine, quam duriter vapulas à
tuo discipulo Amlingo.) Deinde cum Antitrinitariorum mentio
fieret, quod negarent CHRISTVM pro peccatis nostris satisfacisse justi-
tie Dei, querebat Amlingus, quid responderent ad dicta illa evidentis-
sima, Semen Mulieris conteret caput Serpentis: Et, in semine
tuo benedicentur omnes Gentes. Respondebam illos idem dicere
& dicere posse quod Calvinus: vocabulum Seminis esse collectivum, &
de tota Ecclesia esse intelligendum, (En Calvinum Iudaizantem.)
quod cum ex parte Amlingus concederet afferendo locum Rom. 16. Ego
regerebam quam primum hoc Arrianus concedatur, hæc loca posse de
Ecclesia intelligi, jam jam hæc loca nihil prodesse contra illos, cum illi
objiciant se non curare Anagogicam Calvinii interpretationem de
CHRISTO. Aiebat Amlingus, ad hæc jam respondisse Paræum: Sub-
jiciebam eundem jam confutatum ab Hunnio in Antiparæo, nec Calvi-
num ulla ratione excusari posse, cum Paulus ad hæc loca respiciens Gal.
3. de Christo hoc Semen tantum interpretetur. Verum quidem esse,
quod Ecclesia suo modo etiam conterat potentiam Diaboli [virtute
Christi, quatenus ipsi à Christo, efficacia mortis & victoria ipsius com-
municatur. Sed hoc ex his locis non posse immediatè probari: hæc enim
loca tantum agere de ea contritione, quæ non nisi à Christo potuerit
peragi, & tali benedictione, quæ non nisi à Deo promanet.

Tandem itaq; Amlingus fateri cogebatur omnibus audientibus,
Calvinum non posse in omnibus excusari, quod idem fatebatur de loco
Ioh. 10. Ego & Pater unum sumus, in cuius explicatione Calvinum
similiter errasse, largiebatur.

Præterea ubi mentio fiebat Antitrinitariorum & Anabaptista-
rum, quod parvi facerent Baptismum, ego subjeci in illorum classe colle-
candos esse qui dicunt, Infantes baptizatos non credere, seu nul-
lam habere fidem actualem: cum Baptismus sine fide nihil
profit: Sacramenta enim, ipso Calvino in institutionibus lib. 4. teste,
sine fide sumpta esse certissimum Ecclesiæ Exitium: Quapropter melius
esse ut differatur Baptismus infantum, donec fidei essent capaces, &
saluta-

salutariter baptizari possint. Impiam vero esse hanc sententiam, cum
Christus dicat aperte, quod Infantes seu paruuli credant, quod et-
iam hoc Syllogismo, evincebam :

Quicumq; Baptismum sine fide percipiunt
illis nihil prodest, teste scriptura, testibus ipsis
Calvinianis.

Atqui infantes percipiunt Baptismum si-
ne fide, iuxta Calvinianos.

Ergo infantibus Baptismus nihil prodest,
quod volunt Anabaptistæ.

Respondere Amilingus: Infantes credunt, id est, possunt cre-
dere seu habent $\delta\upsilon\nu\alpha\mu$ ip fidei. Ego vero: Christus non dixit qui-
cunq; potest credere, seu qui habet $\delta\upsilon\nu\alpha\mu$ ip fidei: sed qui credit is
salvabitur. Deinde dixi ambiguam esse illam locutionem, Infantes
habere $\delta\upsilon\nu\alpha\mu$ ip fidei. Si enim intelligatur de $\delta\upsilon\nu\alpha\mu$ remota,
qua tam Actui primo, quam secundo opponitur, ineptissimam esse resolu-
tionem, perinde ac si quis dicat, Ille est dives, licet pauper, quia potest
esse dives. Item, Si quis infantem in cunis jacentem dicat esse Doctorem,
propterea quod possit fieri Doctor, cum illa potentia sit nimium remo-
ta, qua ratione & Turca & Iudei ac omnes in creduli credunt, ac fi-
dem habent, quod verè ineptum, & nihil prodest ad Sacramentorum
perceptionem, quæ requirunt Actu fidem, si debent esse salutaria. Si
verò intelligatur de $\delta\upsilon\nu\alpha\mu$ propinqua, qua non Actui primo; sed se-
cundo opponitur, & est ipse Actus primus, tum posse concedi illam locu-
tionem, quamvis propter ambiguitatem sit vitanda, esse enim hunc sen-
sum: Infantes habere $\delta\upsilon\nu\alpha\mu$ ip fidei, id est Actu primo revera cre-
dere, illuminari, à Spiritu S. habere notitiam Christi, & Christum
apprehendere, quamvis opera fidei externa, & Actus secundus, seu opera-
tio fidei externa in infantibus non appareant. Hic Amilingus (quam-
vis $\delta\upsilon\nu\alpha\mu$ ip antea aliter fuerat interpretatus, dicendo Infantes
 $\delta\upsilon\nu\alpha\mu$ tantum habere rationem, quod per absurdum refellebam

monstrando hinc sequi, Infantes non esse Actu, sed $\delta\upsilon\nu\acute{\alpha}\mu\epsilon\grave{\nu}$ ho-
mines, hoc Syllogismo:

Quicumq; $\delta\upsilon\nu\acute{\alpha}\mu\epsilon\grave{\nu}$ tantum habet rationem,
quæ est forma substantialis hominis, ille $\delta\upsilon\nu\acute{\alpha}\mu\epsilon\grave{\nu}$
tantum est homo.

Atqui juxta te infantes $\delta\upsilon\nu\acute{\alpha}\mu\epsilon\grave{\nu}$ tantum ha-
bent rationem, quæ est forma substantialis ho-
minis.

E iuxta te infantes $\delta\upsilon\nu\acute{\alpha}\mu\epsilon\grave{\nu}$ tantum sunt ho-
mines.

Absurda conclusio: Ergo alterutra propositio. Non Maior, quod patet ex mutua relatione effecti & cause. Ergo Minor, quod erat probandum. (Absurdissimum profectò Amlingi absurdum; Helleboro opus habet hoc caput, quo purgetur. Vides quorum tandem rapiantur Calviniano cæstro perciti:) Item aliud esse rationem, aliud ratiocinationem, seu operationem rationis: per rationem constitui hominem, non verò per operationem rationis inculcavam) tandem assentiebatur, quamvis invitus & ipse urgebat locum Marc. 9. & cogebatur asserere, Infantes pertinere ad numerum credentium, quia urgebam immediatam divisionem credentium & non credentium. Turpissimè igitur sibi ipsi contradicebat, imò & Heidelbergensibus & Beze, quorum Autoritate se non teneri ajebat, (En consensum Calvinianorum, qualis erat Vulpecularum Samsonis.) cum objiciebam Heidelbergenses & Bezam nullam fidem sed tantum semen & radicem fidei in fantibus largiri, cum tamen explicare nec possint, nec audeant, quid sit vel semen vel radix fidei, nec Christum dicere eos salvari, qui habeant vel semen vel radicem fidei, sed qui credant, & ipsam fidem habeant. Urgebam etiam contradictionem hanc, quod Calviniani quidem largiantur, Infantes Spiritum Sanctum habere, nec tamen credere, cum tamen illa duo sint simul naturâ, ut etiam Crellius Calvinianus in Logicis fateretur. Hic iterum respondebat, se illorum autoritate non teneri, se credere infantes Actu credere, Actu habere fidem, quamvis explicari non possit, quomodo habeant, &c.

Deinde

Deinde hac vespera fiebat etiam inter alia mentio Ioh. 1. cap. In principio erat verbum, ubi ostendebam, quomodo eludant Antitrinitarij hunc locum, per principium intelligentes initium predicationis Evangelij, quam glossam eos confirmare dixi testimonio Marci & Luca 1. cap. qui aperte de initio predicationis Evangelij loquuntur (Franciscus Davidis in colloquio Transylvanico pag. g 2. facie b. Et Christophorus Osterodus in sua germanica disputatione pag. 128.) Hic Amlingus inscite & imprudenter, quoniam hanc perversam Antitrinitariorum glossam aliter confutare non noverat, respondebat, eternitatem non consistere in his verbis, In Principio: sed in vocabulo ERAT. Ego ridendo confutabam hanc Amlingi responsionem hoc Syllogismo:

Vbicunq; legitur Vocabulum ERAT,
ibi intelligitur æternitas.

In 8. cap. Ioh legitur vocabulum ERAT:
Antequam Abraham erat.
E. ibi intelligitur æternitas.

Et per consequens, Abraham fuit ab æterno, quod absurdum.

(NB) (Mirabilis sanè Syllogismus, sed eius structuram ut vides, suppeditat Amlingus.)

Absurda igitur alterutra propositio. Non Minor, quæ est scriptura. E. Maior, & per consequens tua solutio non est vera, si quidem tantum Maiorem particularem, constituit in prima figura. (NB) Vbi videbat Amlingus suam absurditatem, inquebat, omittamus hæc. Ego verò dicebam: Aliter respondendum erat, nec negandum simpliciter in illis verbis, In principio, non consistere nervum argumenti nostri contra Antitrinitarios: In tota enim locutione, consistere uerbum argumenti, & glossam Antitrinitariorum ex contextu solvi posse monstrabam. Atque hac vespera sermo finiebat de rebus Theologicis, & tantum politica tractabantur.

VICESIMO SEXTO FEBRUARII.

Rogatu Nobiliss. Schulenburgij ingrediebamur templum audiendi solum causa, quia intelligebamus Amlingi discipulum, certè infeli-

in felicem creaturam, concionem habiturum, quod & factum. Tractabat autem Pericopen Euangelij ex Matth. xi. cap. quae in festo Matthiae Apostoli declarari solet. Mirum ibi Cha os audiebamus: in qua concione ad minimum haec duo observabam nostram religionem impugnantia: Christus est Deus, quia Omnipotens. Omnipotens, quia data sunt ei a patre omnia Matth. xi. quod dictum cum loquatur de datis in tempore, invehit haec probatio Arranismum. Alterum: Christus non est ubiq; , quia progressus est de loco in locum &c. Et si Christus tum, quando Ierosolymis passus est, fuit Romae, Athenis &c. crepta est nobis omnis consolatio. Nullam vero addebat consequentiae rationem. Finita concione rogar bar a Nobiliss. Schulenburgio, ut placeret iste concionator: Ego respondebam, non solum esse hominem Calvinianum, sed insuper insulsum & indoctum, quod nullam adhibuerit vel dispositionem, vel explicationem textus in sua concione.

In prandio rursus fiebat mentio Antitrinitariorum, ubi inter alia Amlingus dicebat, eos imprimis in illo errare, quod collocent hypostasim extra essentiam, cum tamen hypostasis non possit esse extra suam essentiam: (Amlingus inscius instar Caiphae veritatem dixit.) Ego mox assensum praebebam dicendo, me etiam firmiter credere, quod hypostasis nec sit, nec possit esse extra suam sententiam, seu hypostasim non esse extra id, cuius est hypostasis, implicare namq; contradictionem: Amlingus, qui meam intentionem ignorabat, rursus suo calculo, repetitis iisdem verbis meam sententiam approbabat: Existimabat namq; me tantum in controversiam Antitrinitariorum respicer., nec animadvertibat, se propria sua vineta cadere. Ego vero hac propositione concessa sic argumentabar:

Nulla hypostasis est extra suam Essentiam, neq; extra id, cuius est Hypostasis.

Atqui Hypostasis Filij Dei est etiam Hypostasis carnis Christi.

E. Hypostasis Filij Dei non est extra carnem suam.

Maiores

Maiorem in quibusdam concessisti: Minorem negare non potes, nisi
velis dicere carnem Christi habere propriam hypostasin, quod Nestoria-
num, vel carere omni hypostasi, quod est iterum absurdum, & negare
unionem personalem. Si autem hypostasis Filij Dei non est extra car-
nem suam. E. Vbiunq; hypostasis Filij Dei, ibi etiam erit caro ipsius.
At qui hypostasis Filij Dei est ubiq; E. etiam caro ipsius erit ubiq;
Hic habebat Amlingus, volebat in genere respondere, sed nolebam ei
hoc permittere: urgebam namq; ut syllogistice responderet, vel ad Ma-
iorem, vel ad Minorem, ubi varia effugia quatebat, qua omnia re-
jiciebam, urgendo responsionem categoricam ad alterutram propositio-
nem. Tandem igitur corrigere volebat Maiorem propositionem,
quam tamen antea simpliciter concesserat, dicens se concessisse, hypo-
stasin non esse extra suam essentiam. Ego acceptabam dicendo, hypo-
stasin modo post in carnationem etiam esse hypostasin carnis sue, & car-
nem iam esse suam propriam carnem, quam sibi propriissime & unicissi-
me appropriaverit. Quapropter cum caro sit ipsius propria caro, & hy-
postasis τὸ ἄλογον sit etiam carnis sue hypostasis, hypostasis autem non
sit extra id, cuius est hypostasis, firmum manere argumentum meum.
Regerebat Amlingus me ostendere meam eloquentiam, qua se supe-
rari facile concedat. Ego vero replicabam: me non Rhetoricè agere,
ideoq; nec eloquentia uti; sed Dialecticè disputare. Amlingus subti-
cebat. post aliquod intervallum repetebam argumentum in concione ma-
tuisina propositum, cuius antea facta est mentio, & ostendebam sapere
Arrianismum, cum Antitrinitarij concedant Christum eatenus esse De-
um, quatenus ipsi in tempore omnia sint à patre data. Respondebat
Amlingus, esse illum, qui concionem habuerat, Tyronem, & posse ex
alijs dictis melius astrui Omnipotentiam filij Dei contra Arrianos, quod
& ipse non negabam. Interim cum assererebam ex illo dicto Matth. 11.
Omnia mihi data sunt à patre, Christo secundum carnem esse com-
municatam Omnipotentiam, id precise negabat Amlingus, cui hunc
Syllogismum opponebam:

Cuicunq; communicata est hypostasis filij
Dei ei etiam communicata est potentia Filij
B Dei

Dei, quia Omnipotentia Filij Dei ab hypostasi ipsius realiter non differt.

Atqui Carni Christi communicata est hypostasis Filij Dei: nam si non esset communicata, aut nullam aut propriam haberet hypostasin. Quorum utrumq; absurdum.

E. Carni Christi communicata est etiam Omnipotentia ipsius.

Respondere confuse Amlingus, hinc sequi Eutychianismum, & destructionem humane Nature, (Hocce, Mi Amlinge, est Dialectice respondere: cur nil nisi Philosophiam, nil nisi Logicam pleno ore crepatis;) Ego respondebam, tum sequi ipsum, si stauimus Omnipotentiam subjective inesse Carni Christi & carnem esse subjectum omnipotentiae, quod non facimus.

Instabat Amlingus, nos ita velle elabi: quod negabam petendo ut directe ad premissas Syllogismorum responderet, vel ad Majorem, vel ad Minorem, sed non poteram, impetrare, ibi Pastor Ballenstedensis ingeminabat, posse argumentum concedi, si intelligatur de unione (Sophistarum proprium est, ut victi confugiant ad ambiguitates verborum. Aliud unio, aliud communicatio & donatio per & propter unionem facta. Aliud causa, aliud effectus.) Ego respondebam, illos sic confundere unionem & communicationem, quod vitium nobis hactenus perperam objecerint, nec unionem intelligendam esse de nudâ combinatione, vel assistentia Naturarum, sed ita declarandam, ut per eam verè caro subsistat in persona Filij Dei, eamq; habeat atq; ea personetur, sic etiam per unionem communicatam esse Omnipotentiam, ut per eam sit personaliter Omnipotens. Hic ille conticebat.

Amlingus interim medidatus fuerat de dicto Lombardi: Animæ humane Christi non datum esse posse omnia ea facere, quæ Deus facit, ne Omnipotens & per hoc Deus putaretur. Respondebam, dictum illud sobrie intelligendum esse, nimirum Carnem Christi non eo modo esse Omnipotentem, quo Deus, nec eo modo omnia posse facere, quæ Deus facit, aliis sequi illum esse Deum. (Non tenemur Autoritate Lombardi, nisi tu forsan eam tam Magnificias, ut

as, ut papatum in Ecclesias Anhaltinas, quas misere seduxisti & in æternum exitium tecum præcipitas reducere, & Papa Anhaltinus saluari velis.) iam neminem nostrum dicere carnem eo modo esse Omnipotentem, quo Deus. Deus est Essentialiter, Caro personaliter Omnipotens. Si aliter intelligatur, me non teneri auctoritate Lombardi, qui multos crassos foreat errores. In geminabat Amlingus dictum hoc esse Catholicum & ab omnibus receptum. Ego negabam, nisi in sensu dicto accipiatur, & per eam testimonium manifestum Scripturæ, me nolle ad Auctoritatem humanam respondere.

Replicabat Amlingus me debere dictum ex Scriptura proferre, quo probem Omnipotentiam Dei carni Christi esse communicatam: mox ego repetebam prius dictum Matth. 11. cap. Omnia mihi data sunt à Patre. Item dictum Matth. 28. Data est mihi omnipotestas in cælo, & in terrâ.

Accipiebam hoc responsum, loqui illa dicta de persona, non de carne: me igitur male argumentari à concreto ad abstractum: quam responsionem hoc Syllogismo diluebam. (Solve hunc modum Gordium Amlinge, & de reali idiomatum communicatione, non vanè, ut antea Thraſonicè gloriatus es, sed re ipsa triumphabis.)

Quæcunq; Personæ Christi data sunt in tempore, illa data sunt ei aut secundum humanam Naturam, aut secundum divinam, aut secundum utramq; quartum non datur.

Atqui secundum Deitatem ei in tempore nihil datum est.

E. neq; secundum utramq; sed secundum Naturam humanam.

Major negari non potest: Minor constat, quia:

Quicunq; omnia habet ab æterno, illi in tempore nihil potuit dari.

Atqui Christus secundum Divinitatem omnia habuit ab æterno.

E. In tempore ei secundum Divinitatem nihil potuit dari.

Hic Categoricaliter petebam responſionem ad ſyllogiſmi premiſſas,
Verum querebant aliud latibulum, dicentes Matth. 28. agi, non de
Omnipotencia Dei, ſed poteſtate officij, cum ibi legatur vox ἐξουσία,
quæ nullibi in toto novo Teſtamento ſignificet Omnipotentiam.

Datam autem eſſe poteſtatem officij Chriſto ſecundum Divini-
tatem ratione miſſionis, & ratione officij. Ad quod ego reſpondebam,
officio nihil dari, ideoq; adhuc ſequi, quod ipſi Natura divina ſit aliquid
datum in tempore: at hoc eſſe falſum, cum Chriſtus ſecundum divini-
tatem habuerit tam omnem poteſtatem quam omnem potentiam, nec
ſuiſſe opus ut vel novam poteſtatem vel novam potentiam propter offi-
cium acciperet, cum ſuffecerit ipſius omnipotentia aterna. Deinde
monſtrabam vocabula ἐξουσία & δούλαμιε promiſcuè uſurpari Luc. 9.
ἐξουσία 10 pillam de qua ſermo eſt Matth. 28. declarari per δούλαμιε
δ. & Luca 22. & alibi. Præterea, querebam, cum ad illa commemora-
ta nihil reſpondere poterat utrum illa poteſtas officij ſit creata vel non
creata. Reſp. abſurdè Amlingus neq; creatam neq; incretam ſed offici-
um eſſe. Ridebam ego hominem confundentem officium cum poteſtate
officij, & rursus querebã, utrũ illud officium eſſet creatum vel non crea-
tum. Reſp. iterum abſurdè neq; creatum neq; increatum, ſed eſſe rela-
tum accidens, de quo cum ſimili modo querebam, hæcebat tandem me
ſophiſtam appellando. Ego vero dicebam: Amlinge putabam te eſſe me-
liorem Logicum, quàm experior, qui non intelligis non dari inter termi-
nos contradicentes tertium, qui abſurdè audes dicere poteſtatem officij
neq; eſſe non creatam neq; creaturam cum tamen non detur tertium:
petij autem ut omnes aſidentes hanc abſurditatem notarent, quod &
factum: Nam Clariffimus Dn. Andreas Tallinger I. V. D. & Cancellar-
ius Mansfeldicus admodum urgebat hinc Amlingum, ut diceret quid
eſſet ſi neq; creatum quid neq; increatum eſſet, verum reſponſionem ex-
torquere non poterat. Aſidebant & Paſtor Quersurdenſis, Dn. Geor-
gius Regebrandus, & civis quidam literatus Iſlebienſis aliq; qui ſimili-
ter de hoc abſurdiſſimo Amlingi abſurdo reſtabuntur. Hoc ſic expedito
repetebam quod in concione matutina fuerat motum de omnipreſen-
tia carnis Chriſti & petebam mihi demonſtrari, quæ ex noſtris Theolo-
gis ſcripſiſſet, corpus Chriſti eſſe in quovis hordeo, ligno, lapide, & im-
puris locis, quemadmodum pro concione fuerat dictum: reſpondebat
eſſ

esse Theologorum nostrorum votes; ego petebam unum nominari, sed non potui impetrare. Tandem monui illos, ut idem concludant, de deitate quam in omnibus locis & ubiq; esse, ipsi etiam voce & scriptis non negent. Quod autem dictum fuerit Christum non potuisse progredi de loco in locum, si ipsius corpus fuisset omniprasens: Respondebam hoc tum sequi, si corpus Christi statuatur subiectum omnipresentiae, vel doceatur omnipresentiam subiective inesse corpori Christi, quod non doceatur à nostris sed considerari omnipresentiam corporis Christi in ipsius hypostasi, in qua & per quam subsistat nullibi ab eâ divisum. Cum nihil aliud occurreret, respondebat Amlingus nos fingere tres essendi modos, (more sophistarum hinc commisit elenchum plurium quaestionum.) Ego regeffi quod injuriam faciat Luthero & omnibus nostris Theologis: Tres illos statuere, non essendi sed alicubi essendi modos. Ut autem videret firmitatem nostrae sententiae hunc promebam Syllogismum:

Ubicunq; est deitas filij Dei & non simul ipsius caro, ibi nulla est unio personalis, quia unio definitur non absentia, sed praesentia mutuâ naturarum: ubi igitur non est mutua naturarum praesentia, ibi nulla est unio.

At juxta vos Calvinianos deitas filij Dei est in terris, in quibus non est caro ipsius: atq; sic in terris non est mutua naturarum praesentia.

E. juxta vos Calvinianos in his terris nulla est unio personalis quod absurdum.

Hic cum petebam directe & categoricè ad Syllogismum responderi, incipiebat Amlingus germanice concionari, ego petebam iterum atq; iterum Syllogisticè responderi, at ille pergebat in suâ Germanicâ concione dicens, sed etiam Germanice posse syllogismum construere, quod tamen non faciebat: Germanice autem loquebatur, quia putabat se reperisse non quod pueri in fava, ideoque ab omnibus audentibus volebat intelligi. Hoc autem replicabat, corpus Christi in utero Mariae fuisse à tempore conceptionis & quidem personaliter unitum, & tam non fuisse extra uterum Mariae virginis, item in uno loco natum passum, & tamen ibi mansisse salvam unionem personalem. Hoc verò non erat di-

recte respondere, ad meum syllogismum. Ut autem certus ordo observa-
retur, promittebam me illorum responsionem syllogistice formaturum,
quod placebat, erat autem hac forma.

Si corpus Christi semper ubiq; fuit. E. ubiq;
natum, ubiq; passum, ubiq; crucifixum &c. sed po-
sterius est absurdum: Ergo & prius. *Approbant*
hunc Syllogismum.

Verum monstrabam illis vitium negando connexionem maioris
propositionis, propterea quod in ea non sit necessaria connexio anteceden-
tis & consequentis idcirco committi fallaciam causa, cum non valeat
consequentia à presentia ad actionem, nam non mox ubiq; agit vel pati-
tur, quod ubiq; est. Et ut validius eos premerem, dabam hanc instantiam.

Si δ λογος ubiq; E. ubiq; assumpsit carnem &
non solum in utero Mariæ virginis. Sed posteri-
us absurdum, ergo & prius.

Item: Si spiritus sanctus ubiq;. E. ubiq; se revelavit
in specie columbæ & non solum ad Iordanem. Sed
posterior est absurdum Ergo & prius.

Applicabam: Quicquid essent mihi responsuri ad hos syllogismos,
idem me responsurum ad eorum syllogismum. Si illorum valeret & hos
valere. Sibi non valerent, nec illorum valere. Præter spem & omnem
opinionem τὸν δὲ ὑπὸ τῶν εἰρησίων respondebat Amlingus: esse argumentatio-
nem à disparatis. (Vbi Logica tua Amlinge?) Ridebam rursus ho-
minem obijciendo ei inscitiam Logica, quam hætenus falso objecerit
nostris: aiebam namq; valere argumentationem à disparatis, si confe-
ratur in uno communi genere, vel communi aliquo accidente, quod in-
finitis exemplis possit ostendi, cum disparata inter se quidem differant
in genere verò & communibus accidentibus conveniant. Deinde ne-
gabam hinc esse processum à disparatis; sed à genere ad speciem, seu à ge-
neraliori ad specialius. Et me mirari, quod non observet utrobq; esse
eundem medium terminum, nempe ubiq; esse, tam in meo, quam in
illorum syllogismo legitime & eodem modo dispositum, quomodo igitur
non possit non sequi eodem modo conclusio?


Hic cum Amlingus videbat se premi, more Sophistarum querebat
effugium excandescens jamprimum, quod illos Calvinianos appellabam
quodroties jam factum erat: dicebat namque se esse Christianos non


Calvinianos, utrumq; esse virum Dei Lutherum & Calvinum, quod
praeise negabam cum infinitis fere modis dissentiant à se invicem Lu-
therus & Calvinus. Pergebat Amlingus dicendo me adversari Paulo, qui
1. Corint. 3. prohibebat diversas appellationes à doctoribus Ecclesiae de-
sumptas. Ego respondebam, Paulum loqui de ijs Ecclesiae doctoribus qui
consentiebant in religionem ut fuerunt Cephas Apollo, Paulus &c. Lu-
therum verò & Calvinum dissidere. Paulum idcoq; inconvenienter al-
legari.


Deinde querebam, cur Paulus in Actis Apostolorum se Pharisaeum
appellet, & non potius Christianum? Respondebat Amlingus, id factum,
ut se à Saducais, se jungeret. Recte inquebam: Cum Christiani appella-
tio hodie sit ambigua, non malè sit ut distinguantur veri Christiani à
falsis, quod quidam dicuntur Lutherani, quidam Calviniani, quidam
Papista, quidam Anabaptista, qui tamen omnes Christiani nomine gau-
dent. Interim facile intelligitur, neminem idcirco vel Lutheranum vel
Calvinianum appellari, quod vel in Calvinum, vel in Lutherum sit Bapti-
zatus. Querebam tandem quo jure nos appellitent Flaccianos Ubiquiti-
stas? sed silentium hac vice etiam erat responsio.

Post longum inter vallum monebat me Amlingus proprio motu, ut
haec verba Athanasij perpenderem: λόγος non est colligatur ibi, sed po-
tius in se continet corpus, adeo ut ibi esset & extra suum corpus esset &c.
(Extra suum corpus in Athanasio non extat: sed extra universa, quod
nemo negat, neq; nostra sententia nocet.) Ego petij ut librum & caput
Athanasij nominaret: Respondebat, se non meminisse. Ego replicabam
me nō credere, quod haec verba ita extant in Athanasio, sed potius me con-
trarium legisse in Athanasio, nimirum quod non sit extra corpus suum,
me negare igitur quod legantur in Athanasio, petebam etiam ut mihi
literis significaret istum locum: respondebat se quæsiturum an eum posset
invenire. Vnde apparet certitudo ipsius in allegando. Addebam & hoc, se
maxime hoc diceret Athanasius me ipsius auctoritate, ut nudi hominis
qui suos etiam habuerit nexos & errores, non teneri. Atq; haec sunt que
principaliter modo sunt bona fide consignata, quod testabuntur omnes
qui adfuerunt Lutherani & Calviniani ad quorum testimoniū & con-
scientiam provoco, certò sciens, quod nihil assingam Amlingo, quem an-
tea virum doctum credidi, sed modo planè rudem.

F I N I S







153272

AB 153272

ULB Halle 3
002 405 342



1017







Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



10
OQVI,

M

TI GRA

DRIS SHO-

iensis.

AMLINGI PA-

ANI, IN ARCE

o 4. habitum: pri-

avvero bona

atum &

Lutherana veritatis, no-

sis, per studio sum

logia evul-

Æ,

lomonis Richtzen-

1604.

